



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 7. Præcedentis historiæ veritas trutinata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

inexplicabile Sacramentum. Et hoc quidem antequam possis, isti fosse parvula potius totius maris undas infundam. Hac dicens puer repente disparuit. Beatus vero Augustinus Christum in facto glorificans, quam verum puer dixerat, mox aduertit.

§. VII.

Præcedentis historia veritas trutinata.

Hæc ad Liburnum, portum Pisanorum contigisse tradit Iacobus Philippus Bergomensis. Quidquid sit de loco; de puero IESU ei apparente res probabilior est, quam quod S. Hieronymo apparuerit; non solum quia epistola illa D. Augustini ad Cyrillum fictitia est; sed quia etiam vetustissima, in Ecclesia, pictura est D. Augustini, cum puero ad littus & pedes illius sedente, atq; cochlear tenente, quo mare in effossam scrobem colligit: quidquid nonnulli etiam hanc imaginem sub læstæ fidei esse arbitrentur. Quod si ergo historiam esse ponamus. voluit & hunc Doctorem Puer IESUS docere, & voluit utiq; sanctus hoc Doctor libenter ab hoc Puero doceri, tanquam à Sapiencia Patris, magistroque veritatis, qui per veros, aut ætate, aut sapientia mundana, pueros, complures alios, in humanis oculis grandes instru-

In tom. 2.
D. Augustini
Appendice
epist. 17.
Io. Molæ.
de hist.
SS. Imaginum
lib. 3.
cap. 36.

instruxit, vt Mundi sapientiam confunderet; doceretque, nullum pusillum, nullum quantumuis simplicē esse contemnendum. Sic exaltatur à DEO humilitas, sic sublimitas humiliatur.

§. VIII.

Amphilochij simplicissimi profunda & audax sapientia.

Niceph.
Callist.
l. II. hist.
Eccles. c.
9. Sozom.
lib. 7. c. 6.
Theodor.
l. 5. c. 16.
Trip. c. 35.

Nicephorus, Sozomenus aliq; com-
rēs testantur, fuisse Iconij senem
Episcopum Amphilochium dictum, anti-
quæ simplicitatis hominem, qui Theodosi-
um Magnum Imperatorem ausus est adire,
eique libellum supplicem dare, quo Theo-
dosiū monebatur, vt impios Arianorum
conuentus, ex vrbibus proscriberet. Neq;
enim minùs nocere infectione hæreticos
censebat, quàm pestilentia correptos, qui
luem, etiam, in maximè cautos, propagant.
Imperatori durior ea inhumaniórque peti-
tio videbatur, vt qui clementia atq; bene-
uolentia capiendos Arianos putaret, im-
prudentermq; Episcopi zelum in alia tempo-
ra quietiora differendū arbitraretur. Quid
ibi fecit sapientissima Amphilochij simpli-
citas? quibus machinis porrò quaterè Im-
peratoris animum instruit? Est tempus, cum
filendo